



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Vita sancti Eusebij Presbyteri Romani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

VITA SANCTI EVSEBII
Presbyteri Romani.

Eodem tempore quo Liberius de exilio revoca- Anno Christi
tus fuerat à Constantio Augusto hæretico, in ^{357.}
eodem tantum dogmate ut non rebaptizarent popu-
lum, sed una communione contaminarent plebem,
Eusebius Presbyter urbis Romæ cœpit declarare Li-
berium hæreticum & amicum Constantij. Cùmque
multi sancta confessione & catholica fide vitarent
communionem Liberij per Eusebij Presbyteri do-
ctrinam, occupantur Ecclesiæ à Liberio, eicitur
Felix de episcopatu, subrogatur Liberius, tenetur
Eusebius Presbyter, & quod in domo sua, quam
ipse construxerat, populum congregaret, & quia
confortaret plebem sanctam. Tunc Constantius
Imperator aggreditur cum Liberio Eusebium Pres-
byterum dicens. Tu solus Christianus es in urbe
Roma? Eusebius Presbyter respondit: Sic confi-
dimus in Domino, quia fideles nos inveniet Chri-
stus, sicut & baptizati sumus & benedictionem
quam à beato Iulio suscepimus tenemus. Liberius
dixit: Nos cuius fungimur vice? Nonne Iulij ante-
rioris nostri? Eusebius Presbyter dixit: Si perseve-
rasses in fide quam in persecutione primò tenere vi-
sus fueras. Liberius dixit: Præsente Augusto tam
contumacem me existimas? Eusebius dixit: Res ip-
sa te docet & declarat. Imperator Constantius di-
xit: Et quid est inter fidem & fidem? Eusebius Pres-
byter respondit: Quantum ad nos peccatores, in-
tegrè tenentes sumus. Quantum ad vos, infania
diaboli & invidia superstitionis vestræ, ut Felicem
Episcopum, quem vos non tacuistis catholicum &
Dominum Iesum Christum invocantem purum

sacerdotem ab omnibus declaratum , in damnationis causam exilio direxistis ; qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat . Et quidem jussu tuo Christianis occisionem & necem præcepisti inferri , maximè Clericis & Presbyteris & Diaconibus . Tunc iratus Constantius subrogatu Liberij includit Eusebium Presbyterum in quodam cubiculo domus suæ quod humile erat in latitudine pedibus quatuor , & ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans , inclusus tamen , post menses septem doritionem accepit nonodecimo Kalendas Septembris . Cujus corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbyteri parentes ejus , & sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti martyris & Episcopi via Appia in cimiterio Calisti ; ubi & titulum ejus scribentes posuerunt pro commemoratione ejus : *Eusebio homini Dei* . Eodem tempore auditum est à Constantio Imperatore eò quod Gregorius & Orosius Presbyteri collegerunt corpus Eusebij Presbyteri , & in eadem crypta vivum præcepit includi Gregorium . Tunc Orosius Presbyter collegit semivivum beatum Gregorium noctu occultè propter Constantium Augustum , & emisso spiritu , sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebij Presbyteri . Qui etiam Orosius hac gesta conscripsit . Abeodem die intra Ecclesias jussu Constantij Imperatoris quisquis inventus fuisset non sic confiteri vel participari sicut Liberius , indisculus gladio puniretur . Quapropter in plateis & in vicis & in Ecclesiis sive in balneis gladio trucidabantur , persequente Constantio Christianos unà cum Liberio . Mortuo autem Liberio , levatur Damasus , qui voce publica damnavit Liberium facta synodo cum Episcopis viginti & octo & Presbyteris viginti & quinque ; & cessavit persecutio , non tamen multum tempus , donante Domino nostro Iesu Christo , qui vivit & regnat in secula seculorum . Amen .